



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCLXXII. ad annum DCCCCIX.

**Parisiis, 1644**

Epistola CCXXXVII. Ioannis Papae VIII. Ad Antonivm Episcopvm Et Berengarivm Comitem. Liutfredum comitem, quia monialem, quae e monasterio effugerat, suscepit, & bona Angelbergae imperatricis ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15967**

semper vbique resonet ad augmentum vestræ perpetuæ remunerationis. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXXVI.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD TEVTMARVM ARCHIEPISCOPVM.

Miratur eum morari, & ad se non venire. monet vt statim veniat.

*Reuerendissimo & sanctissimo Teutmaro archiepiscopo  
dilecto confratri nostro.*

**S**IC V T nobis dilectus ac spiritalis filius noster Carolo-mannus gloriosus rex suis regiis direxit apicibus, vt vos ad nostram apostolicam venire debuissetis præsentiam, vestrum quotidie præstolantes aduentum miramus cur tantum moremini: nos enim almitatis & prudentiæ vestræ fauore repleti, fraternitatem vestram pio cupimus iam contemplari intuitu. Vnde his nostris apostolicis literis vos monemus, & exhortamur, vt libenti ad nos animo properare omnimodis studeatis: quatenus vna vobiscum ea quæ sanctæ Dei ecclesiæ utilia sunt prout necesse fuerit, pariter ordinare valeamus. Data vt supra.

## EPISTOLA CCXXXVII.

## IOANNIS PAPÆ VIII.

AD ANTONIVM EPISCOPVM ET BERENGARIVM  
COMITEM.

Liutfredum comitem, quia monialem, quæ e monastério effugerat, suscepit, & bona Angelbergæ imperatricis diripuit, excommunicat, nisi statuto tempore satisfecerit. monet ne quisquam cum eo communicet.

*Reuerendissimo Antonio episcopo Brixieni, d' nobilissimo viro,  
dilectoque filio Berengario glorioso comiti.*

**Q**VIA dilectus ac spiritalis filius noster Carolomannus gloriosus rex suis regalibus literis, & missorum nostrorum verbo, nostro præfusatui pio mentis affectu commisit, vt nos curam huius Italici regni haberemus, tam

*Concil. Tom. 24.*

Mm ij

pro diuinitus nobis commissa pastorali solicitudine omnium Christi ouium, quam etiam pro præfati regis vice cura concessa, illa quæ contra Deum, & iura legis alicubi cognoscimus præsumptione commissa, omni volumus conamine compescere, & vnam ouem morbidam gladio percutere spiritali, vt ad salutem quoquomodo anima vulnerata perueniat, antequam totus grex vnius contagione maculetur. Audientes igitur, veraciterque scientes Liutfredum comitem suscepisse quamdam sanctimoniale nomine Gerlindam de Placentino monasterio fuga lapsam, & post nostram super hac cauſa admonitionem, salubremque prohibitionem, eam detinuisse, atque cum propria vxore, suisque illi pariter communicasse; nobilitati vestrae paterna dumtaxat dilectione mandamus, vt & tam pro eadem sanctimoniali, † quam facultatibus dilectori filiæ nostræ Angelbergæ Augustæ, cui debitam omnino debuit fidem conseruare, latenter recepit: & haec tenus contra nostrum ei reddere distulit interdictum; quamque etiam, quia cortes ipsius sub nostra apostolica tutione, ac defensione perenniter susceptas, deprædari temere præsumpsit: nos eum a communione fidelium sequestramus; ita scilicet, vt si infra Italicum regnum consistit, intra dies trintat habeat omnia sub vera satisfactione reddita, quæ violenter abstulit: & si extra regnum Italicum esse viderur, infra dies sexaginta; ac deinde, si hæc omnia paruipendens in sua pertinacia manere, nihilque studuerit emendare, anathematis vinculo sit innodatus, donec ad nostram apostolicam præsentiam venerit, & pro illicitis his omnibus veram coram nobis satisfactionem facere studuerit. Idcirco volumus, vt nullatenus ei communicetis, si nostro apostolico vultis, vt dilectori filii, consortio frui. Data vt supra.

<sup>†</sup> dicit ali-  
quid.